



## **R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera**

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniae Agrippinae, 1661**

68. In Festo S. Caroli Borromæi, tripart. Suscitabo mihi Sacerdotum fidele[m], qui iuxta cor meum & animam meam faciet & ædificabo ei domum fidelem, &c. 1. Reg. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56381)





aliqui reperti sunt, à quibus merito auferretur regnum Dei, & doctrina fidei, substituit eis gentem, qui illud regnum illaque veritatis doctrina daretur ad faciendum fructum Mox quoque, ut hinc inde vitorum errorum que caligo dissiparetur, plerique Religiosi Ordines reformationem susceperunt, vel novæ pietatis fuadamina jecere. Tunc namque Ordo S. Francisci ad observantiam strictiorem se fecit collegit. Tunc Capucinorum Congregatio in penitentia exemplum sese Orbi prodidit. Tunc Societatis Jesu Militia, contra vitia & errores fortiter dimicanti cepit. Tunc Carmelo novi quasi incola per S. Teresam suscitati sunt, disciplina sancta studio cultores & instauratores. Tunc & Minimi à S. Francisco de Paula dati sunt in lucem Gentium.

Denique, tunc nonnulli de Clero ceperunt aperire oculos, ut agnoscerent se in sortem Domini vocatos; sicque opus esse vocationi diuine respondere, & vitis ac erroribus pietate ac doctrina obviare. Quapropter eodem seculo exortus est S. Philippus Nerius, qui Clero & Clericorum Congregationibus sapientia sanctitatisque luce prælueret, & S. CAROLUS BORROMÆUS, qui Canonicis, Pastoribus, Prælatibus, normam recte vivendi dederet, ac faciem præferens in clamare posset: *Imitatores mei estote, sicut ego Christi.*

1. Cor. 4.

Qua igitur de illo mihi hodierna ejus festi vitæ te differendum est, assumpsi illud in propositione: *Suscitabo mihi sacerdotem fideliem, qui juxta cor meum & animam meam faciet: & edificabit domum fidelem, & habitabit coram Christo meo cunctis diebus.* Quod quidem licet de Samuele, aut (ut multi volunt) de Sadoce Sacerdote, dictum haud ignorem; tamen appropinquare etiam Sacerdoti huic nostro, sive Sacerdotum Patri sanctissimo CAROLO convenire, declarare intendo. Quid est igitur dicere: *Suscitabo mihi Sacerdotem fideliem, juxta cor meum?* Sane idem est, ac si diceret Dominus: Imortua quodammodo fuerit pietas, animarum zelus, fides & religio; aut certe sopore gravi oppressa languet; sed suscitabo virum secundum cor meum & animam meam, qui viva sua fide, zeloque ardenti & charitate torporem aliorum excutiet, novamque vitam eis reddet verbo & exemplo. Quid rursum est dicere: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem secundum cor meum?* nisi idem, ac si diceret: Suscitabo Sacerdotem verè Sacerdotem, Sacerdotum Ducem, Sacerdotum Lucem, Exemplar, Speculum, Normam; denique Sacerdotum Reformatorem, Pastorem, que Pastorem, qui tanquam Columna Ignis illos per verbum ducet iter.

Elogia S. Car. Bor.

Perpicua ac mentis oculo Ecclesiæ statum perlustrans, agnovit S. Carolus parum esse, si Religiosi Ordines in ordinem sese pietatis antiquæ redigerent, nisi & Clerus, Sacerdos, Pastores suam tenerent ordinem. In hoc igitur totum incubuit. Propterea omnem adhibuit sollicitudinem, extremum que exseruit conatum, divini spiritus in pullu, ut coro-

nidem adjicerent Concilio Tridentino Patres conscripti, ex omnibus Christianæ professionis Nationibus illuc convocati. Etenim in Concilio hujus constitutionibus medulla Cleri reformationem concernens continebatur, ipso infirmitudinem hanc de re exhibente, & multas eruditissimorum juxta ac pientissimorum virorum ad hunc effectum consultationes, cum Romæ, tum Mediolani procurantes. Eundem ob faciem, demandata sibi à Pio, Quinto Pontifice cura, Catechismus ad Parochos convocatis Theologis peritissimis in lucem edi curavit; ubi Christianæ & Catholice doctrine Summa sanctorumque Patrum dogmata egregie tradita sunt, & juculente Denique perscrutari, quam multas Provinciales Synodos cœgerit ad inorum reformationem, & disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem, quam multis decretis huic rei vigilantiam, quam multis visitationibus & itineribus per totam suam Diocæsim susceptis diplomam promovit. Merito ergo de iplo illud verum esse asserimus: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.*

Cursus Caroli ad reformationem Ecclesiam.

Diocæsis suæ loca aspera & montuosa, non equis vectus aut rhedis, sed propriis pedibus frequenter visere non est indignatus: tum ut populis aliqua importaretur gratia spirituali ad confirmandos eos: tum ut Sacerdotes ibi vel ignaros instrueret, vel ignavos exillimularet ad id quod sua civilis officii erat. Atque in tantum profecit, ut plerique Sacerdotum intra Religiosorum vitam piam, castam, temperantem, exemplaremque ducerent, & admirationem sui plebem traducerent odore sancto. Hic nimirum erat scopus S. Caroli, per Sacerdotes bene moratos plebem ad Christum adducere. Sciebat quantum importaret Sacerdotum pietas, ad totius Ecclesiæ reformationem & frugem. Qui vult corpus languidum sanare, primum advigilat ut partes nobiliores sanæ fiat, per quas alimentum, sanguis, vigor que in alias partes trajicitur. Sacerdotum nobilior pars est totius corporis Ecclesiæ, ab illo ergo sanitas & vigor in cætera membra debet derivari. Qui arborem marcidam vult purgare, incipiat necesse est à radice: *Si radix sancta* (teste Apostolo) *est rami: si radix vivida, vigentes erunt & rami.* Si Ecclesiæ vinea forent sanctimoniam Sacerdotum, jam flores fructusque pariter in per obedientiam populorum, inquit S. Bernardus libris, de Consideratione. Vocatus fuit S. Carolus ad purgandam & excolendam vineam Domini, ideo nullum detrectavit laborem, sive circa radicem, sive circa flores, aut ramicum, ut fructus sequeretur fecundissimus.

Rem. 3.

Sacerdotum & Religiosorum quomodo suscitavit.

Rem. 20.

S. Caroli vitam Divinam purgavit.

Paris II. S. Caroli Sacerdotis fidelem secundum cor Dei.



Christi Carolus, qui non *questivis* que sua sunt, sed *qua Iesu Christi*. Non enim questivis propriam gloriam aut honorem, nō opes aut commoditates secutus est, non delicias rade & voluptates; sed salutem questivis animarum impensissime, ut ex inde gloria Iesu Christi Summi Sacerdotis referret. Non proprium ambivit honorem is, quo nihil erat humilior, ita ut in ejus sepulchro HUMILITAS CORONATA, cernatur & insculpta. Non delicias affectabat, qui sub purpura rade & villosum gestabat cilicium, quiq; in pane & aqua frequentissime jejunabat, & non nisi lupinis, sive iplis amaris. Quadragesimam peragebat, ac super nudum stramen aut asserem somnum caprabat. Non opes facili venabatur, qui & eas, quas ex patrimonio habebat, in pauperes erogabat: ita ut uno die supra quadraginta millia scutorum ex principatu Virano dividendio in gregem pauperum divideret. O Fidelem Sacerdotem & dispensatorem, de quo merito canere possumus: *Dispersit, delit pauperibus justitia ojus manus in saculum saculi*. Non ulli rei, que sub Sole est, affectu inhaerebat, cum propter Christum nec rebus suis necessariis, nec vita parceret. Quod quidem evidentissime patuit tempore acerbissime pestilentiae totam Mediolanensem Civitatem depascens, quo quidem tempore in inopes omnia sua distraxit etiam libros, ac uter silia, usque ad ipsum lectulum, in quo quando que decumberet. Atque exinde nunquam amplius lecto usus est, sed super nudum humum, vel super nudum asserem in dormiebat, quando somnus necessarius urgebat. Ad non in his omnibus ejus patuit fidelitas erga Dominum Iesum, cui in pauperibus suis sic toto affectu invertebat?

Nec hic stetit ejus fidelitas, sed dicere potuit idem quod S. Paulinus, qui, cum laudaretur quod omnia sua de dissest pauperibus, sic respondet: *Qua nobis sum non in utilitatem, nec poteramus auferre nobiscum, quasi mutata reddidimus. Facile hac, tanquam pallium remittentibus exciderunt; nec ut curam a carne distraaximus, sed ut vestem a corpore deposuimus. Nunc opus est, ut qua verè nostra sunt, dependamus; hoc est, cor & animam & corpora nostra exhibeamus in hostiam vivam. Qua enim gratia, si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus? Hæc S. Paulinus epist. 2. Idem dicere potuit, imò dixit, & fecit S. Carolus, qui non contentus suam erogare substantiam in opibus, suam exposuit etiam vitam pro Christo & pro gregi suo, inter contagione infectos agens, ac illis propriis manibus Sacramenta ministrans, proprio ore solatium impendens. Potuit itaque cum Apostolo pronunciarè illud: *Ego lubentissime impendam, & super impendam ipse pro animabus vestris*. Parum fuit S. Paulo nihil à Corinthiis accipere, parùm omnia sua illis impendere hoc optabat, ut totus ipse pro illis impenderetur, & se velut victimam exhiberet pro illis. In hoc enim fidelitatis & charitatis excellentia consistebat.*

Itaque imitatus est S. Paulum Carolus, imitatus est & antiquos illos Ecclesiæ Sacerdotes, & Præfules, de quibus S. Bernardus lib. 4 de consider. ad Eugenium: *Euerunt ante te quis se totos ovis pascendis exponeret; Pastores opere & nomine gloriantes, nihil sibi reputantes indignum, nisi quod salutis ovium obviare putarent non querentes que sua sunt, sed impendentes Impendere curam, impendere seipos. Unde unus illorum ait: Super impendam pro animabus vestris. Hæc ille. Certè S. Caroli, tanquam fidelis Pastoris zelus enituit in publica illa supplicatione, quam instituit ut iram & vindicem Dei manum amoliretur à suo grege. In illa funem, quasi reus, collo suo iniecit, crucem in manibus detulit, pedibus nudis iniecit, illos progrediendo per civitatis plateas ad saxa collidens crucentavit, ac seipsum Domino pro suis immolans, dicebant: *Ego sum, ego sum qui peccavi, tantum in me converte manum tuam; ego totus grex in me delicta recipio, & tanquam anathema de voce me ipsum tibi pro salute omnium. O charitatem excemiam, omnibus sacculis prædicandam, omnibus Pastoribus in exemplum proponendam.**

Augebatur porro in ipso charitas persecutionibus, sicut ignis flabro & ventis: unde ut divinum beneplacitum adimpleret in Ecclesiæ sue reformatione, & depravatorum moru correctione; hominum etiam potentium contemptu & evicti persecutionem, & insectos eorum adversum se conatus. Hoc enim solum ei curæ erat, ut omnia perageret secundum cor Dei & animam ejus, illique soli placeret, licet hominibus displicere per hoc deberet. Notum est ex gestis ejus posterorum memorie publicitus traditis, quot persecutiones, tum à Principibus Viris, tum à Religiosis & Ecclesiasticis passus fuerit, dum de pravatis moribus, tum in clero, tum in populo invalescentibus, obviare totis nititur viribus, & damnosâ rescindere libertatem. Dissolutioris vix homines, tanquam agri in phrenesim versi, insurgent in Medicum, ipsi cataplasmata adhibere onantem, salusq; eorum studiosissimè ipse verò & eorum miseram sortem deplorabat, nec curare desistebat, quolibet suo periculo dilacerabant acerbis & spumante dente ejus famam & honori: opprobriis & contumeliis eum onerabant apud plebem, ejus auctoritatem proculcabant, denique & vitæ ejus infidiabantur. Dicebat verò ipse cum Propheeta: *Quoniam zelus domus tuæ comedit Foris in me, opprobria exprobrant tibi ceciderunt super me, adversa. Et operus in jejuniis animam meam, & posui vestimentum meum cicutum. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me saltabant qui bibebant vinum. Ego autem orationem meam ad te Domine, tempus beneplacitii Dæi. O Virum secundum cor Dei & animam ejus, nihil nisi divinum beneplacitum per orationem exquirens, ac postmodum nec vitæ parcens, nec languini, ut illud adimpleret! O Virum secundum cor Dei & animam ejus, qui omnia sua consilia, cogitationes, resolutiones deprecabatur,*

Zelator animarum.

Pater pauperum.

Psal. 11.

Vitam pro Christo exposuit.

2. Cor. 12.

Seipsum pro suis immolavit.

Multas persecutiones passus.

Psal. 68.



De corde  
Iesu robo-  
ratus.

Mal. 108.

Oras in  
sclopeti  
potitur.

Isai. 42.

Pars III.  
Quomodo  
S. Carolo  
Deus fide-  
lem homi-  
nē adjuvat.

de corde Iesu, tanquam de fonte Sapientia fortitudinis. Ex illo robur defluebat, quo adversus conatus obfistere posset; & mansuetudinem inde admirabilem percipiebat, quā contraria quævis sine strepitu & perturbatione diffingere poterat, solitus & pro malis bona reddere. Non desistebant triticum ferere, licet spinas meteret. Quapropter rursus dicere poterat cum Propheta: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, odium pro delectatione mea.*

An non patuit id evidenter, dum per improbum & perditissimum Apostatam icū sclopeti appetitus est, eo tempore quo vespertina vacabat contemplationi suo in Oratorio? Sicut bonæ voluntatis diviniæ servum suum protegente, illa sus non sine miraculo evasit, de fluente globo ad pedes sed & impeterritus & sine perturbatione orans permanfit præcipitque domesticis suis, ut nullus eorum se loco dimoveret, aut impium conspiratorem requireret, ei illo ipso tempore se offensam remittere protestatur. Rursus ergo hic repetere cogor: O Virum secundum cor Dei & animam ejus, secundum cor Christi & spiritum ejus, de quo verè dice-re potest: *Ecce servus meus quem eligi, complacuit sibi in illo anima mea, posui super eum spiritum meum. Non clamabit, neque accipiet per os meum nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non confringet & lignum fumigans non exstinguet. Non erit tristis, neque turbulens. Nonne hæc omnia in viro Dei CAROLO manifesta sunt.*

Ed attendamus quod tandem in textu nostro pro conclusione sequitur. *Et edificabo ei domum fidem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Solet Deus servos suos fideles remunerari non solum gloria essentiali, quæ consistit in visione & fruitione divinae faciei, sed etiam gloria accidentali quæ in sanctis augetur, ex eo quod nomen eorum apud populos celeberrimū reddat, quod miraculis multis eos claros efficiat, quod multis speciali devotione & cultu eis sese addicant filios, eorum gloriam ubique promovere conantes, tum verbo & preconio tum in imitatione & exemplo. Certe S. CAROLVM Deus post varios labores coronavit coronā aurēā essentialis gloriae, sed & gloria accidentalem ipsius adauxit innumeris miraculis. Vnde & ad ejus tumulum appensa fuere supra milia Tabellarum, aut aliorum Monumentorum factorū, quibus sanitates miraculosæ per ejus intercessionem impetratae, aliaque beneficia & dona indicabantur. Nomen quoque ejus non solum per Mediolanensem provinciam, aut per Italiam, sed per totum orbem mox celeberrimum factum est, ad ejus Sepulchrum concurrentibus ex variis Regibus magno confluxu magna que cum pietate viris eximij.

Denique, Oratoria, Collegia, Sodalitia, ejus nomini specialiter fuere erecta & inscripta, atque in

in his completum est illud à Domino: *Edificabo ei domum fidem.* Edificare domum, sacris in litteris idem est, quod familiam parare numerosam & felicem. Quapropter dicitur, Deus Oblectricibus edificasse domos: eo quod mafculos Hebræorum conservassent, nec iuxta regium edictum enecassent in partu. Vult autem indicare hac phrasi facer textus, quod eis Deus dederit in compensationem numerosam & prosperam. Itaque quod S. CAROLO à Deo edificatam domum fidem dicimus, familiam omnem sacram quæ sub nomine ejus congregatur, vel aggregatur, designamus. Qui se sub nomine ejus congregant, ei se in filios volunt, & ab eo spiritum vocationi suæ congruum haurire contendunt, ejusque virtutes paternas sibi ad emulandum proponunt, denique & regulas festantur ab ipso spiritu Dei dictatas. Sic Mediolani Congregatio primitus ab ipso instituta fuit; & certis constitutionibus erecta & dictata, in quā quoadque reperire sunt doctissimi piatissimique, Sacerdotes ultra sexaginta in Theologia aut Iuris prudentia graduatos, quorum utebatur subsidio ad sacras & sublimes functiones curam Archiepiscopalem concernentes. Ultra hanc Congregationem collegialiter conviventium in Vrbe medullio, in domo scilicet quondam vocata sancti Sepulchri Domini, quatuor foraneas congregationes Sacerdotum instituerat per Diocesim, quas & ipse fovēbat spiritu suo, monitis, instructione paternā quasi familiæ suæ proles foetumque suum sacrum.

Hoc itaque est quod nostro themati accommodè dicimus, *Domini ei edificasse domum fidem,* quæ adhuc cernitur in variis Congregationibus Sacerdotum, & aliorum, nomini ejus devotis. Est enim domus fidelis omnis congregatio ipsius sanctas constitutiones exactè observans. Est domus fidelis omnis congregatio, ejus virtutes studio sè imitans. Est domus fidelis omnis congregatio, ministeria sacra ad ejus exemplum piè & sanctè obiens. Est domus fidelis, omnis Sodalitas divinam gloriam animarumque salutem sicut ipse exquirens.

Atque quicumque se de hac domo fideli dicere volunt, ejusque familiæ sese ascribunt, debent coram Christo semper ambulare, sicut & de ipso accus domo subditur: *Et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Quid est aliud ambulare quam progredi, & ad perfectionem tendere, nunquam retrogredi, sed semper ad ulteriora eniti ac dicere cum Apostolo: *Qua retro sunt oblitiscens, ad anteriora me extendo, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Aut certè necesse est nos esse similes his qui ex aquis enatae nuntur, de quibus S. Paulinus ep. 2. sic ait: *Natator annem interpositum supernaturus exiit, nec tamen ad hunc iransnat abire, nisi toto corporis nisu, & omnium scita mobilitate membrorum, & propulsu pectus, & remigio brachiorum, & lateris illapsu torrentis impetu*

Edifica-  
re domum  
quid sit.  
Exod. 1.

Quasi  
domus  
fidelis

1. Reg. 3.

Philip. 3.

11110



Quid sit  
ambulare  
coram Deo

Perfectionis  
semita.

Auſtor vi-  
ta l. 8. c. 18.  
& 21.

L. M. I.

sum ſcindat, & laborem multum natando exhauriat. Ita que hoc ſeculum quandoque flumini vel mari aſſimilatur, quod oportet magno labore tranſnatare, quandoque & via, in qua non oportet deſidem eſſe, ſed oportet ſemper ambulare. Et quidem ambulare oportet coram Domino, hoc eſt, in præſentia eius ſemper decet eſſe, illi ſe iungere, illi per omnia obſequi, cum eo colloqui & progredi eius opem implorare, ab eo extorere pendere, illi ſe committere, illi omnia referre.

Felices, qui ſemper coram Deo ſtant, vel ambulat, tanquam ſervi coram Domino ſuo, tanquam diſcipuli coram Magiſtro, tanquam milites coram Duce tanquam Filii coram Patre, tanquam miniſtri coram ſummo Principe, au ſummo ſacerdote, in illum unice figentes intuitu. Sic fecit S. Carolus, ſic & alios facere docuit. Vnde à quodam interrogatus, ut brevem perfectionis ſemitam ipſum edoceret, tria tantum dedit documenta. 1. Ut quotidie exiſtimaret ſe inchoare, ut eo ſcilicet fervore Deo quotidie ſerviret, ac ſi primum eo die inchoaret. 2. Ut coram Deo ſemper ambularet, cogitans ſe in eius eſſe præſentia. 3. Ut ad vigilaret, ut omnia opera ſua in Deum tenderent. Dicebat, verò animi generoſi eſſe in vita ſpiritu ſemper progredi, & majora aggreſſi. Sic mercatores quotidie aliquid lucro adicere nituntur, hortulani quotidie agrum, pictores quotidie imaginem magis poliunt & perficiunt, quanto magis debent virtuti quotidie aliquid adicere, qui eius ſunt ſtudioſi, inquitabat ipſe? Propterea & ipſe nulli labori parcebat, nulli aſteritati nulli afflictioni carnis: gloria ducebat & lucro talibus immori. Quapropter paucis, ante mortem diebus in Varallum conſcendens montem, ubi in diverſis Capellis Stationes & Myſteria Dominiæ Paſſionis depicta viſuntur, poſt variâs corporis afflictiones octo horis orationi continuè vacante deprehenſus eſt; in qua abſque dubio inſpiratione divini ſeſe ad mortem disponebat. Sic & in quadam epiſtola ad Archiepiſcopum Valentinum monentem ut ſibi parceret, nec nimis laboribus ac poenitentis vitam ſibi abbreviaret reſponſum hoc ei dedit: *Quod ſi etiam dum Eccleſia pro qua Chriſtus acerbiſſimam mortem pertulit operatur, virtutum, quas debilitari, vita quam interire neceſſe eſt, iactura fiat, id verò maximi lucri ac emolumentis loco ponendum eſt. Nimiſ delicati hominis, nedum Epifcopi eſt, à muneris ſui, quo nullum amplius, nullum præſtantius eſt, adminiſtratione & cura, aut valedudinis ſtudio retardari, aut mortis formidine detereri. Hæc ipſe, ut reſertur c. 21. vitæ eius c. 8.*

Quis igitur ex his non luce meridianâ clariùs videat, qualis fuerit Sacerdos S. Carolus, divina cum ſufcitante gratiâ ævo noſtro, ut cæteros & ipſe excitaret? Quis non agnoſcat, quàm fidelis fuerit Domino ſuo, quàm dignè ambulans coram Chriſto corde perfecto, in ſanctitate & juſtitia ſerviens coram ipſo omnibus diebus vitæ ſuæ, & inconformitate admirabili cum voluntate divini, in adverſis &

proſperis, in juventute & matura ætate, in vita & in morte? Certe potuit dicere cum Chriſto Patri æterno: *Quæ tibi placita ſunt, facio ſemper.* In poſtremo ſuo morbo, lamentantibus eius deceſſum hiſ quibus præluxerat lux eximia ſanctitatis, totus licet fractus laboribus toto Sacerdotii ſui decurſu exanthlatis, tamen adhuc dicebat cum S. Martino: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non veſto laborem: ſi autem voluntas tua.* Quid certe aliud poterat dicere *ſi ſecundum cor Dei*, ad extremum uſque ſpiritum omnes eius voluntates exquirens? Sed tandem ab illo ex hoc corporis ærumnoſo carcere evocatus, ſanctum ſuum ſpiritum in corde Jeſu tranſmiſit, adſpiciens fixiſſimè in piam agoniae eius imaginem, lectuli ſui pedibus appenſam.

O Domine Jeſu Chriſte, Summe Sacerdos, Sacerdotumque & Paſtorum Moderator & Paſtor, ſufcita omni tempore in Eccleſia tua Sacerdotes & Paſtores fideles, qui juxta cor tuum & animam tuam facient, qui coram te ambulent dignè vocatione ſua. Sufcita Sacerdotes & Paſtores, qui Carolum imitentur opere & veritate, qui eius veſtigiiſ inhæreant ſincerâ cordis devotione, cum zelo ſalutis animarum, quas tuo redemiſti ſanguine, & cum zelo ardenti gloriae tuae ubique propagandæ. Efficere, ut illi qui ſub eius nomine, directione, protectione, congregantur, ſint ei domus fidelis, ſintque Filii haud degenerate, ut poſſint dignè populo tuo præfici, gregemque tuum præcedere, ante illum ingredi & egredi, tandemque in locum à te præparatum introducere. Hoc nobis concedas qui es benedictus in ſæcula, Amen.

IN FESTO S. MARTINI.

11. Nov.  
LECT. 68.

Bonum certamen certavi, curſum conſummaſi, ſtripatrem ſer vaſi, in reliquo repoſi. eſt mihi corona juſtitia. 2. Tim. 4.

Vitam hominis Militiæ nomine crebrò in ſacris litteris deſignari, pernotum eſt. Sic diſertis verbis expreſſit Iob in veteri Teſtamento: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Et ruſus: *Cunctis diebus quibus nunc miſto, expeſto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, ego reſpondebo tibi.* Conformer Prophetæ: *Super cuſtodiam meam ſtabo, & ſiſgam gradum ſuper munitionem & contempſi labor, ut videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam arguentem me.* In novo quoque Teſtamento S. Paulus frequenter de hac militia agit in ſuis epiſtolis, declarans panopliam quâ debet eſſe adornatus miles Chriſtianus. Habeat ergo Spem, Galeam ſalutis, Scutum fidei, Loricam juſtitia, Balteum veritatis Ocreas & Calceos militares, præparationem Evangelii pacis, Gladiû ſpiritus: Hiſ omnibus poterit eſſe tutus contra hoſtem, ignita ejus jacula haud verebitur, laureamque emerebitur. Propterea hortatur Timotheus: *Labora ſicut bonus miles.* 2. Tim. 2.

Hominiſ  
vita &  
Militia Iob.  
7. Iob. 14.  
Abac. 2.